

## IDEALOGIA

1. Ad Dynamilogiam, ut diximus in *Introd. ad Philosophiam*<sup>1</sup>, *Ideologia*, et *Criteriaologia* etiam spectant. Ex iis enim, quae circa naturam, obiectum, et operationes facultatum animae humanae statuta sunt, nullo negotio colligitur, 1° quomodo cognitio humana per illas facultates evolvatur, sive quomodo cognitionis humanae origo explicanda sit; 2° quidnam roboris ad veritatem nobis patefaciendam ipsis insit. Harum tractationum prima dicitur *Ideologia*, quia originem idearum ad examen revocat; altera autem vocatur *Criteriaologia*, quia *criteria*, sive motiva, ob quae de vera cognitione rerum certi sumus, exponit.

2. Quod attinet ad *Ideologiam*, nos quaestionem solvemus de idearum origine in universum spectata, sive de modo, quo intellectus noster primo assequitur cognitionem rerum<sup>2</sup>; atque 1° praecipua Philosophorum systemata excutiemus; 2° illorum Philosophorum sententiam expendemus, qui humanam cognitionem sine sermonis ope evolvi non posse pertendunt; 3° quoniam quaestio de origine idearum ad notiones universales spectat, de celebri illa controversia, quae circa vim notionum universalium penes Philosophos exagitur, verba faciemus.

### CAPVT PRIMVM

#### Excutiuntur Philosophorum systemata circa originem idearum

##### ART. I. De Sensismo

3. Sensismus est illud systema, in quo origo totius cognitionis humanae ex sensibus, tamquam ex unica fonte, repetitur.

<sup>1</sup> P. 3.

<sup>2</sup> De specialibus modis, quibus anima res materiales, prout singulares sunt, vel ea, quae materialium rerum genus praetergrediuntur, vel seipsam cognoscit, iam a nobis explicatum est (vid. p. 132 sqq., et p. 141 sqq.). Modum autem, quo ad Dei cognitionem pervenimus, in Theologia naturali investigabimus.

4. Prop. *Sensismus est systema in se absurdum, et ad absurda consecutaria ducens.*

*Probatur prima pars.* Sensistae ideo docent sensus esse unicam fontem cognitionis humanae, quia cum Condillacho unicam sentiendi facultatem animae attribuunt, et contendunt ceteras facultates, quae a Philosophis numerantur, non aliud esse, quam diversas sensibilitatis formas, earumque actiones non aliud esse, nisi sensationes *transformatas*<sup>1</sup>. Atqui nos iam evidenter demonstravimus operationes intellectus tum ex obiecto, circa quod versantur, et ex modo, quo exercentur, tum ex ipsis Condillachi principiis non posse reduci ad sensationes. Ergo absurdum est assignare sensus, tamquam unicam nostrae cognitionis fontem.

5. *Probatur altera pars.* 1° Homo, ex cognitione intellectiva, qua pollet, discriminatur a belluis, quibus non nisi cognitio sensitiva inesse potest. Atqui, si sensus essent unica fons cognitionis humanae, et cognitio intellectiva ad sensationes reduceretur, nullum extaret discrimen inter cognitionem propriam hominis, et illam, quae pertinet ad belluas. Ergo, posito sensismo, homo ex dignitate sua, qua belluis maxime praestat, excideret. 2° Scientiarum principia absoluta, universalis atque immutabilia sint oportet. Atqui sensus non nisi concretum, contingens, et mutabile referre possunt. Ergo, posito sensismo, scientia prorsus evanesceret.

6. Haec autem absurda consecutaria sensismi haud vitantur, si origo idearum eo, quo docuit Lockius, modo explicetur. Nimirum angulus hic philosophus duas facultates ad rerum cognitionem assequendam in animam admisit, nempe *sensationem*, per quam anima res, quae sive extra se, sive in se fiunt, apprehendit, et *reflexionem*, per quam ad res sensibus apprehensas vim suam intendit<sup>2</sup>. At vero haec reflexio, quam Lockius praeter sensationem admittit, ad sensationem, ut merito Condillachus observavit, reducit. Nam huiusmodi reflexio non exercetur, nisi circa ea, quae sensibus percepta sunt, ac proinde ipsa vividiores reddit sensationes, atque ad summum eas in partes dissolvit, aut vario modo componit, sed numquam efficere potest, ut mens ad intelligibilia, quae ab ipsis sensationibus specie differunt, adsurgere possit.

<sup>1</sup> Cf p. 156. — <sup>2</sup> *Essais etc.*, lib. II, c. 2, § 1.

7. Obiic. Vulgatum est illud effatum Scholasticorum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Ergo cognitio nostra non nisi a sensibus repetenda est.

8. Resp., *Dist. ant.*, quatenus cognitio intellectiva evolvi non potest sine phantasmatis, quae per sensus hauriuntur, *conc. ant.*, quatenus intellectus apprehendit illud ipsum, quod a sensu percipitur, *neg. ant. Neg. cons.* Et sane, ex illo Scholasticorum effato colligi quidem potest cognitionem intellectivam aliquo modo a sensibus oriri, quatenus hi praebent intellectui phantasma, in quod intellectus actionem suam exercet<sup>1</sup>; numquam vero *sensitivam cognitionem esse totam causam cognitionis intellectivae*<sup>2</sup>; quia intellectus ex vi sua sine ope sensuum ex phantasmate obiectum sibi proprium, nempe intelligibile, omnino diversum ab obiecto sensuum efficit, illudque apprehendit<sup>3</sup>; immo *nulla cognoscit, quae per sensus nullo modo cognosci possunt*<sup>4</sup>.

ART. II. De systemate idearum innatarum in universum

9. Systema *idearum innatarum* illorum Philosophorum est, qui originem idearum ex eo explicant, quod anima cognitionem rerum saltem initialem per ideas sibi naturaliter insitas habeat.

10. Prop. *Systema idearum innatarum est reiiciendum.*

*Probat.* 1° Si idearum innatarum hypothesis admittatur, consequitur animam intelligere res per medium absolute immateriale, ita nempe, ut ope phantasmatis non indigeat. Atqui id, ut iam demonstratum est<sup>5</sup>, naturae animae humanae repugnat, et experientiae contradicit. Ergo hypothesis idearum innatarum reiicienda est. Hoc argumentum ex eo magis confirmatur, quod intelligere res *per earum species acceptas a Deo simul cum intellectuali natura* est proprium substantiarum intellectualium, quae sunt *a corporibus totaliter absolutae*<sup>6</sup>, ac proinde proprium esse nequit animae humanae, quae inter substantias intellectuales infimum tenet locum.

2° Anima a potentia ad actum cognitionis per intellectum possibilem progreditur<sup>7</sup>. Atqui id explicari nequit in hypothesis i-

<sup>1</sup> Cf p. 129-130. — <sup>2</sup> I, q. LXXXIV, a. 6 c.

<sup>3</sup> Cf p. 131 sqq.

<sup>4</sup> Ibid. ad 3, et q. LXXIX, a. 4 ad 4. Cf p. 132. Vid. s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, p. 2, a. 11, q. 1 ad arg.

<sup>5</sup> Cf p. 129-130. — <sup>6</sup> I, q. LV, a. 2 c. — <sup>7</sup> Cf p. 138-139.

dearum innatarum. Ergo ideas rerum menti innatas esse dici nequit. Huic etiam argumento maius robur additur ex eo, quod intellectus ad omne verum pergitur<sup>1</sup>, ita ut, aiente s. Thoma, quodammodo sit virtutis infinitae<sup>2</sup>. Iam in systemate idearum innatarum id explicandum foret non quatenus intellectus ad novas species acquirendas adhuc *in potentia* est, sed quatenus infinitae species *actu* in eo sunt; id quod, uti ex se patet, absurdum est.

3° Denique. Ideae innatae, quippe quae ab actione rerum in animam nullo modo pendent, aliquid mere *subiectivum*, sive in mente positum, sunt. Atqui id, quod huiusmodi est, aliquid *obiectivi*, nempe quod realiter est extra animam, manifestare nequit. Ergo, si hypothesis idearum innatarum admitteretur, de realitate nostrae cognitionis actum foret. Cuius argumenti vis ut clarius perscipiatur, advertendum est ideas innatas vim repraesentandi realitatem rerum accipere non posse ex ipsa anima, cui insitae esse dicuntur, nam anima, cum non sit causa rerum, ipsarum repraesentatrix esse nequit. Nec iuvat asserere illis ideis res ex eo repraesentari, quod a Deo animae inseruntur; nam realitas nostrae cognitionis, cum sit aliquid factum naturale, ex aliqua causa naturali, et non ab immediata actione Dei repetenda est.

ART. III. De variis modis, quibus systema idearum innatarum a Philosophis propugnatur

11. Philosophi, qui ideas innatas admittunt, sententiam suam diversis modis exponunt; unde diversa idearum innatarum systemata exoriuntur, quorum praecipui auctores sunt Plato inter veteres, et ex recentibus Cartesius, Leibnitijs, et Rosminius. Secundum Platonem, anima, antequam corpori uniretur, extitit, atque rerum ideas, quae essentias rerum repraesentant, et sunt aliquid extra animam subsistens, intuita est; deinde in corpus, tamquam in carcerem, ob quaedam crimina detrusa, omnium, quae ante intuebatur, est oblita. Itaque anima in hac vita secum fert oblitteratas ideas, quas in antea vita contemplata est; sed quoniam res externae ad illarum *idearum* exemplar conditae sunt, efficitur, ut anima per sensationes, quibus res externas percipit, illas ideas in se exsuscitet, atque in prae-

<sup>1</sup> Cf p. 131. — <sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XXX, a. 4 ad 2.

sentia contempletur. Hinc scientia rerum, quam in dies adipisci videmur, non nisi reminiscencia est; ad quam rem Plato affert exemplum pueri, qui etsi nihil unquam didicisset, ordine tamen, et sensim interrogatus, etiam de difficillimis problematibus protinus, et recte respondebat.

12. Haec Platonis sententia manifeste absurda est. Re quidem vera 1° ipsa innititur animae praeeexistentia, eiusque poenali coniunctione cum corpore. Atqui haec falsa, et absurda esse suo loco ostendemus. Ergo.

2° Platonis iudicio, ideae sunt animae naturales, atque anima ex eo, quod cum corpore coniungitur, naturam suam non amittit. Atqui « nullus homo, aiente s. Thoma, obliviscitur eorum, quae naturaliter cognoscit »<sup>1</sup>. Ergo coniunctio cum corpore, secundum eiusdem Platonis principia, in causa esse non potest, cur anima illarum idearum obliviscatur.

3° Si illae ideae per sensus excitantur, dicendum est coniunctionem cum corpore esse causam, cur anima illarum recorderetur; quia anima vim sentiendi acquirit ex eo, quod cum corpore coniungitur. Atqui coniunctio cum corpore, secundum eundem Platonem, est causa, cur anima illarum idearum obliviscatur. Ergo ob eandem causam anima obliviscitur, et recordatur suarum idearum, id quod aperte absurdum est.

4° Reminiscencia idearum expostulat, ut anima illas *instar habitus* in se conservet<sup>2</sup>, et habitus expostulat, ut homo, quotiescumque ei libeat, illo utatur<sup>3</sup>. Atqui anima, secundum Platonem, non potest illas ideas, quas in anteacta vita contemplata est, pro suo lubitu considerare, sed solum cum a rebus externis ad illam considerationem excitatur. Ergo dici nequit animam ex eo intelligere res, quod illarum idearum reminiscitur.

5° Exemplum, quod Plato in medium attulit, pro eius sententia haud stat. Illud enim non aliud innuit, nisi puerum naturali facultate intelligendi praeditum fuisse, qua, e magis notis minus nota deducens, respondere potest interrogationibus, quae gradatim, et ordine fiunt<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> I, q. XXXIV, a. 3 c. — <sup>2</sup> Cf p. 155.

<sup>3</sup> « Usus habituum, inquit s. Thomas, subiacet voluntati »; *Qq. disp. De Virtut.*, q. 1, a. 11 ad 14.

<sup>4</sup> Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XII, c. ult., et s. Thom., I, q. LXXXIV, a. 3 ad 3.

13. Cartesiani ideas distinguunt in *adventitias, factitias, et innatas*. Adventitiae, eorum sententia, sunt quae animae obveniunt occasione motuum, qui ex appulsu rerum externarum in sensoribus organibus excitantur; cuiusmodi, e. g., est idea *solis*. Factitiae sunt quae ab ipsa mente efficiuntur ex unione diversarum idearum, e. g., idea hippocentauri. Denique innatae sunt, quae cum anima *concreantur*, id est a Deo in actu creationis in anima infunduntur.

14. Contra hanc Cartesianorum opinionem adnotamus illam his duobus pronuntiatis inniti, quorum primum est, essentiam animae in actuali cognitione consistere; nam, secundum ipsos, sicut anima essentiam, ita etiam cognitionem a Deo habet; alterum est, quod idearum intellectualium origo per sensus explicari nequit. Ast primum pronuntiatum falsum est; nam, ut suo loco ostendemus, non solum cognitio, sed etiam facultas cognoscendi essentiam animae constituere nequit. Ex altero pronuntiato autem inferri non potest ideas esse innatas, sed potius aliam in anima agnoscendam esse facultatem, qua ipsa eas sibi comparet.

15. Praeterea, Cartesius hac in re ambiguus est, nam aliquando pro ideis innatis naturalem cognoscendi facultatem intelligere videtur<sup>1</sup>. At si Cartesius nomine idearum innatarum intelligit ipsam naturalem cognoscendi facultatem, nobiscum consentit. Nihilominus liceat nobis ab eo sciscitari, si omnes ideae proficiuntur a naturali cognitione, cur non omnes esse innatas dicat? cur adventitias praeterea, et factitias admittat?

16. Leibnitiu arbitratu est animam ex sua essentia in se habere *schema*, seu confusam repraesentationem totius universi, docuitque animam ex vi sibi insita illud evolvere, prout obiecta exteriora producant mutationes in corpore, atque ita acquirere distinctam perceptionem rerum<sup>2</sup>.

17. Hanc Leibniti sententiam reiiciendam esse ex eo praecipue evincitur, quod omnino absurdum est animam ex sua essentia in se habere repraesentationem totius Universi; nam solius Dei, qui est causa omnium rerum, proprium est earum similitudines in se essentialiter habere, atque ideo per suam ipsam essentiam

<sup>1</sup> Cf *Not. in Programm. Belgicum*.

<sup>2</sup> *Novv. Ess.*, lib. I, c. 13, § 16, et lib. II, c. 1, § 20.

omnia cognoscere. Audiatur s. Thomas: « Si aliquis intellectus est, qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia eius habeat in se immaterialiter omnia. Hoc autem est proprium Dei, ut sua Essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium, prout effectus virtute praexistunt in causa. Solus igitur Deus per Essentiam suam omnia intelligit, non autem anima humana, neque Angelus <sup>1</sup> ».

18. Denique Rosminius haec statuit: 1° Animae innata est idea maxime universalis, nempe idea *entis possibilis*, sive *idealis*. 2° Ipsa applicat illam ideam *entis* elementis sensibus, tamquam formam materiei, sive in eo, quod sensu percipit, videt quandam *realizationem* entis, atque ita pronunciat illud iudicium primitivum: *Quod sentio, existit*. 3° Ex hoc iudicio primas perceptiones intellectivas rerum sibi conficit; siquidem anima dicitur aliquid *intellective* percipere, cum illud existere affirmat. 4° Postquam anima perceptionem intellectivam rei sibi comparavit, abstrahit ab ista iudicium de reali ipsius rei existentia, indeque merum, et simplicem conceptum illius rei retinet. 5° Huiusmodi conceptus vocatur *idea*, quae exhibet possibilitatem, sive intelligibilem essentiam rei. 6° Quapropter ideae, quae diversis speciebus rerum referuntur, non sunt, nisi determinationes, ac veluti *specificationes* illius universalissimae, et indeterminatae ideae entis possibilis, sive idealis, quae menti naturaliter insita est <sup>2</sup>.

19. At Rosminii sententia multis urgetur incommodis. Satis sit, ceteris omissis, haec adnotare: 1° Falsum est perceptionem intellectivam rei haberi ex eo, quod mens de reali eius existentia iudicium conficit. Sane, ut res percipiatur, prout realis est, opus est iudicio; oportet enim intellectum supra rem, quae iam percepta est, converti, ut inde perspiciat, utrum, necne illa perceptio conveniat realitati. At perceptio rei, quae in se realis est, sine praevio iudicio habetur; nam intellectus rem, quae in se realis est, dumtaxat apprehendit, quin investiget, utrum sua cognitio conveniat realitati, necne.

2° Non solum non expostulatur iudicium, ut perceptio intellectualis rei habeatur, sed illud iudicium eo modo, quo a Ro-

<sup>1</sup> I, q. LXXXIV, a. 2 c.

<sup>2</sup> *Nuovo Saggio* etc., sez. II, c. un., vol. I, sez. III, c. 3, art. 8, not. I, et art. 9.

sminio explicatur, nempe per applicationem ideae *entis* elementis sensibus, naturae iudicii adversatur. Re quidem vera, mens, secundum Rosminium, non cognoscit rem, quae sensationem producit, nisi antea iudicium efformet, quo ideam innatam *entis* ipsi applicet; quapropter mens, cum hoc iudicium conficit, applicat idem *entis* rei, quam nondum cognoscit. Atqui hoc absurdum est; nam, aiente s. Thoma, « nullus potest applicare aliquid ad alterum, nisi illud praecognoscat; unde dicta applicatio non potest esse ratio cognoscendi particularia, sed cognitionem singularium praesupponit <sup>1</sup> ». Ergo. Praeterea, nisi subiectum, et attributum ad unam, eandemque facultatem spectent, iudicium impossibile evadit; quia iudicium consistit in unico, et indiviso actu, quo relatio inter subiectum, et praedicatum perspicitur, et haec relatio hoc modo perspicere non potest, nisi una, eademque sit facultas, quae subiectum, et praedicatum cognoscit. Atqui in primitivo iudicio rosmiliano subiectum et praedicatum ad diversas facultates pertinent, quia subiectum est id, quod per sensationem extrinsecus animae advenit, praedicatum autem est idea intelligibilis entis, quae intrinsecus animae est. Igitur iudicium primitivum eo modo, quo a Rosminio explicatur, naturae iudicii repugnat. Accedit, quod hoc iudicium, secundum Rosminium, est simul comparativum, et instinctivum; comparativum, quia fit per conjunctionem ideae innatae *entis* cum elementis sensibus, et instinctivum, quia illa conjunctio per actionem spontaneam, et naturalem rationis efficitur. At nos iam ostendimus iudicium comparativum simul, et instinctivum repugnare <sup>2</sup>.

3° Etiam si illud rosmilianum iudicium admittatur, tamen cognitio realitatis rerum numquam ab ipso exhiberi posset; quia ope iudicii, quo mens ideam *entis possibilis* adiungit elementis sensibus, conceptus possibilitatis rei, quae sentitur, at non conceptus realis eius existentiae derivari posset. Exinde colligitur rosmilianum systema latam viam sternere idealismo. Quod quidem comprobari potest hoc brevi argumento: Ex elementis subiectivis, ut diximus, nihil obiectivi elici potest. Atqui illud iudicium, quo mens realem rerum existentiam pronunciat, ex elementis prorsus subiectivis conflatur. Nam sensatio, secundum

<sup>1</sup> I, q. XIV, a. 11 c. — <sup>2</sup> Cf p. 149.

Rosminium, est dumtaxat affectio subiecti sentientis, quae obiectum externum non attingit; idea innata entis, quae sensationibus adiungitur, est quaedam idealis forma ipsius mentis; denique coniunctio sensibilibus elementorum cum idea entis ex coeco instinctu efficitur. Ergo Rosminius suo illo primitivo iudicio frustra conatur statuere obiectivam, seu realem cognitionem rerum.

4° Notio *universalis* perperam a Rosminio explicatur. Mens, ex eius sententia, uti iam diximus<sup>1</sup>, postquam intellectivam rei cognitionem adeptam est, seiungit ab ea iudicium de reali eius existentia, atque ita *ideam* rei sibi comparat; haec autem idea, ut ipse ait, est *universalis*; nam notio *universalis* non est aliud, nisi notio rei singularis, prout est possibilis, seu seiuncta ab existentia; siquidem notio rei singularis hoc modo considerata est typus, secundum quem cunctae res eiusdem naturae existere possunt, ob idque, cum in pluribus inveniri possit, est *universalis*<sup>2</sup>. At contra, possibile, cum sit id, quod *in potentia* est, aliquid innuit, quod existentiae opponitur, universale autem non innuit aliquid, quod existentiae opponitur, quia, ut s. Bonaventura advertit, ipsum « quantum est de se, indifferenter se habet ad actum, et ad potentiam<sup>3</sup> ». Quocirca universale, et possibile unum, idemque non sunt, ac proinde notio alicuius rei non est *universalis* ex eo, quod res consideratur, prout est possibilis. Praeterea, idea *universalis* confundi non potest cum notione rei singularis, prout haec, seiuncta ab existentia, consideratur veluti typus plurium rerum singularium; nam illa quoque notio, quae repraesentat rem, veluti determinatam principis individuantibus, considerari potest uti plurium rerum singularium exemplar.

5° Nihil est, cur idea innata in anima admittenda sit: rationis enim momenta, quibus Rosminius sententiam suam communiavit, futilia esse paulo post in art. X evincemus.

6° Denique, illud praetermissum nolumus, quod idea entis, quam Rosminius confinxit, necessitate, infinitate, immutabilitate, aliisque notis, propriis Divinae naturae, ornata passim ab eo

<sup>1</sup> P. 192.

<sup>2</sup> N. S. etc, sez. III, c. 2, art. 10, et sez. V, part. 2, c. 3.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. V, a. 11, q. 2 resol.

dicatur. Alqui illa idea, cum sit innata menti, non nisi affectio ipsius mentis esse potest. Ergo quamdam affectionem divinis characteribus ornatam menti nostrae inhaerere dicendum est; id quod naturae mentis omnino adversatur.

ART. IV. De Transcendentalismo

20. Sub *Transcendentalismi* nomine designantur illa diversa systemata recentium Germaniae philosophorum, a quibus origo nostrae cognitionis ita exponitur, ut mens ipsa dicatur sibi construere suae cognitionis obiecta. Ipsi appellantur *Transcendentales*, quia omnem experientiam *transcendunt*, seu transiliunt, et originem cognitionis humanae demonstrare student *a priori*, nempe ab ipsa analysi cogitationis remotae ab omni experientia sive interna, sive externa.

21. Horum Philosophorum systemata ortum habuerunt a Kantio. Ipse *materiam*, et *formam* in quavis cognitione distinguit. *Materia* est mutabilis, et contingens, atque ex sensibilibus obiectis sive internis, sive externis advenit; *forma* est necessaria, et *universalis*, atque exurgit ex ipsa natura subiecti cognoscentis. Iam cogitare, seu aliquid concipere idem est, ac iudicium de aliqua re proferre; et ideo formae cogitationis totidem esse debent, quot sunt iudiciorum species. Hinc intellectui nostro insitae sunt duodecim formae, seu *categoriae*, quae sunt *Unitas*, *multitudo*, et *totalitas* ratione *quantitatis* iudiciorum, prout nempe notio subiecti aut unum, aut plura, aut totum complectitur; *Realitas*, *negatio*, et *limitatio* ratione *qualitatis*, nempe *realitas* quoad iudicia affirmantia, *negatio* quoad iudicia negantia, et *limitatio* quoad iudicia indefinita; *Substantia* et *accidens*, *causa* et *effectus*, atque *reciprocatio*, sive *actio* et *passio* ratione *relationis*, idest ratione nexus inter subiectum, et attributum, nempe, *categoria substantiae* et *accidentis* quoad illa iudicia, in quibus attributum absolute convenit subiecto; *categoria causae* et *effectus* quoad illa iudicia, in quibus attributum sub aliqua conditione enunciatum de subiecto; *categoria actionis* et *passionis* quoad illa, in quibus plura attributa ita de subiecto enunciantur, ut, uno eorum posito, cetera tollantur, et, ceteris omnibus sublatis, unum reliquum ponatur. Denique *forma possibilitatis* et *impossibilitatis*, *existentiae* et *non-existentiae*, *necessitatis* et *contingentiae* ratione *modalitatis*, sive ratione modi, quo subie-

etum, et attributum ad mentem nostram referuntur, nempe prout consensus inter subiectum, et attributum a nobis concipitur vel ut *possibilis*, vel ut *realis*; et rursus *realis* vel *contingens*, vel *necessarius*. Itaque intellectus, applicans has formas sibi inhaerentes elementis sensilibus, obiecta suae cognitionis sibi efformat. Quare res a nobis cognoscuntur ope iudiciorum *syntheticorum a priori*<sup>1</sup>. Hoc nomine ea iudicia designantur, in quibus anima neque per experientiam cognoscit praedicatum, neque in notione subiecti illud detegit, sed haurit ipsum ex subiectivis formis, quae sibi inhaerent, et quas ex quodam instinctu materiae suae cogitationis, sive elementis sensilibus applicat.

22. Philosophi, qui Kantium secuti sunt, eius systema evolventes, docuerunt elementa cognitionis ab obiectis extra mentem positus derivanda non esse. Quamvis autem ipsi sententiam suam diversis modis explicent, tamen in eo consentiunt, quod animam esse suae cognitionis unicam causam, immo suae cognitionis obiecta sibi construere statuunt. Inter eos Fichteus eo devenit, ut animam ex vi sibi insita obiectum intelligibile, immo seipsam creare putaret.

23. Ut systematis Kantiani, aliorumque Germaniae Philosophorum, quatenus ad rem hanc spectant, abnormitas evincatur, demonstramus sequentes propositiones:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Formae, quas Kantius nativas affectiones intellectus esse asserit, repugnantiam in se includunt, eiusque doctrina de iudiciis syntheticis a priori naturae mentis humanae aperte adversatur.*

*Probatur* prima pars. Huiusmodi formae, Kantii iudicio, sunt notiones inanes, et omni obiecto expertes, ac proinde sunt notiones, per quas nihil cognoscitur. Atqui notio, qua nihil cognoscitur, non est notio, sed potius negatio notionis, seu cognitionis. Ergo illae formae sunt notiones non notiones. Praeterea, singulae illae formae, seu notiones, una cum notionibus

<sup>1</sup> Iudicium, cuius praedicatum pertinet ad essentiam subiecti, ita ut resolventi notionem subiecti notio praedicati occurrat, dicitur *analyticum*. E contrario dicitur *syntheticum* illud iudicium, cuius attributum non pertinet ad essentiam subiecti, sed ei superadditur. Istud dicitur *a posteriori*, quia in eo adiungitur praedicatum subiecto post cognitionem, quam nobis experientia praebet. Illud dicitur *a priori*, quia relatio inter praedicatum, et subiectum ex ipsa idearum collatione patescit.

sibi e diametro oppositis ponuntur, e. g., *forma necessitatis*, et *contingentiae*, *possibilitatis*, et *impossibilitatis* etc. Ergo si illae essent internae intellectus affectiones, affectiones secum pugnantibus intellectui convenirent, id quod valde absurdum est.

24. *Probatur* secunda pars: Quodlibet iudicium *a priori* est analyticum, iudicium enim *a priori* efformari dicitur, cum attributum detegitur ex subiecti analysi vel immediate, vel mediate, nempe per ratiocinationem. *Synthetica* autem iudicia sunt natura sua *a posteriori*, quia in iudiciis syntheticis mens non perspicit intrinsecum nexum inter praedicatum, et subiectum, ac proinde statuit relationem inter utrumque subsidio experientiae. Quare si iudicia *synthetica a priori* existere possent, in iis mens neque per analysim subiecti, neque per experientiam iudicaret, hoc est ex coeco instinctu iudicia efformaret. Atqui id naturae mentis humanae adversatur<sup>1</sup>. Ergo doctrina Kantii de iudiciis *syntheticis a priori* naturae mentis humanae adversatur.

25. Prop. 2<sup>a</sup>. *Nequit anima esse unica causa suae cognitionis.*

*Probatur*. Si anima esset unica causa effectrix suarum cognitionum, tenendum foret similitudines rerum in eam neque ab ipsis rebus, neque ab alia causa exteriori induci, sed ei essentialiter inesse. Atqui hoc proprium est Intellectus Divini; nam, cum solus Intellectus Divinus sit causa rerum, Ipse solus similitudines omnium rerum in se essentialiter habet. Ergo nequit dici animam esse unicum principium efficiens suarum intellectio- num, nisi ipsa unum, idemque cum Intellectu Divino esse dicatur, id quod purus, putusque pantheismus est.

26. Prop. 3<sup>a</sup>. *Absurdum est animam cognoscere res ex eo, quod illas producit.*

*Probatur*. Si mens res cognosceret ex eo, quod illas producit, sane produceret res, quas non cognosceret se producere. Atqui hoc falsum est; nam, cum quodlibet ens quidquid agit, agat secundum modum suae naturae, anima, utpote quae ratione pollet, nequit aliquid agere, nisi cognoscat illud, quod agit, eiusque notitia, tamquam exemplari, ad agendum utatur. Ergo ipsa non novit res, quia illas producit, sed res producit, quia illas novit.

27. Prop. 4<sup>a</sup>. *Cognitio non potest dici, ut ait Fichteus, creatio.*

*Probatur*. Anima non cognoscit res ex eo, quod illas producit.

<sup>1</sup> Cf p. 148.

Ergo cognitio non potest dici creatio. Praeterea, omnis actio cognitrix est perfectio subiecti cognoscentis, non vero obiecti, quod cognoscitur; e contrario, actio creatrix transit in aliquid positum extra subiectum creans, quia ipsa non est perfectio subiecti creantis, sed obiecti quod creatur.

28. Prop. 5<sup>a</sup>. *Maximum absurdum est id, quod ait Fichteus, animam eo ipso, quod se cognoscit, seipsam creare.*

*Probatur.* Si anima ex eo, quod se cognoscit, sibimetipsi existentiam largitur, sequitur ipsam se cognoscere, ac proinde operari, antequam existat. Iam si res ita se haberet, cognitio sine subiecto cognoscente, et operatio sine subiecto operante admitenda foret; quae profecto manifeste absurda sunt<sup>1</sup>.

ART. V. *De Ontologismo, et primum quid hoc systema sit, exponitur*

29. Ontologismus, ut alibi diximus<sup>2</sup>, est illud systema, in quo statuitur mentem nostram intueri, sive immediate cognoscere Deum, et ab hac intuitionem repetendam esse cognitionum nostrarum originem.

30. Huius systematis auctores Malebranchius, et Giobertius habentur. Secundum Malebranchium, mens nostra, cum intimior Deo, quam sibimetipsi sit, Deum, et quidquid in Deo est, videt; et quoniam in Deo sunt ideae, sive exemplaria omnium rerum, sequitur, ut ipsa res intelligat ex eo, quod illarum ideas in Deo videt. Hinc statuit Deum solum esse intelligibilem, ceteraque omnia non esse intelligibilia, nisi in Deo, et per idem lumen, quo Deus ipsa intelligit<sup>3</sup>.

31. Secundum Giobertium autem, anima Deum intuetur, nempe immediate, prout in seipso revera est, cognoscit, et quoniam Deus est revera creans mundum, sequitur ut mens, intuendo Deum, simul intueatur actum *creativum*, et res, quae sunt terminus creationis. Deus ita cognitus est principium omnis intellectualis cognitionis, sine quo nihil est intelligibile, et est lumen, per quod intellectus omnia intelligit. Quare principium universae scientiae est illud iudicium primitivum: *Ens creat existens*, sive, *Deus creat mundum*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De immort.*, c. 8, n. 14.

<sup>2</sup> *Log.*, p. III, c. II, art. 5, p. 81.

<sup>3</sup> *De inquirenda veritate*, praesertim *Illustr.* ad lib. II, t. II.

<sup>4</sup> *Introd.*, lib. I, c. 4.

32. Omnes Ontologi huius nostrae aetatis Malebranchium, et Giobertium magistros suos venerantur, atque etsi dissentiant inter se circa modum, quo intuitio Dei efficitur, tamen omnes in eo consentiunt, quod mens nostra Deum intuetur, id est Deum per se, et immediate intelligit, atque in Divinis Ideis reliqua intelligibilia cognoscit.

33. Itaque Ontologismi summa his duabus assertionibus continetur, quarum prima est, *Deus immediate a nobis cognoscitur*. Altera, *In Deo cognito rerum rationes, atque aeternae veritates a nobis cognoscuntur, ita ut ipse Deus constituat lumen nostrae intelligentiae*. Iam primam assertionem dumtaxat discutiendam suscepimus, tum quia abnormitatem alterius iam demonstravimus<sup>1</sup>, tum quia huius falsitas falsitatem primae consequitur; si enim Deum mens videre non potest, neque veritates quidem rerum in eo, et per eum cognoscere potest.

ART. VI. *Declaratur, quid sibi velit cognitio immediata, seu intuitio Dei*

34. Cognitio immediata, et directa, prout hic accipitur, est ea, qua res cognoscitur *in seipsa*<sup>2</sup>. Cognoscitur autem aliqua res *in seipsa*, cum cognoscitur vel per suam essentiam, quae, prout cognoscibilis est, praesens est potentiae cognitrici, vel per eius propriam similitudinem, a qua facultas cognitrix informatur<sup>3</sup>. E. g., immediata est cognitio lucis, quae praesens est oculo<sup>4</sup>; item lapis a visu immediate cognosci dicitur, quia haec cognitio fit per similitudinem lapidis in oculo *immediate derivatam* ab ipso lapide<sup>5</sup>, ita ut ipsa species lapidis *resultet in oculo*<sup>6</sup>.

35. Huiusmodi cognitio ab ea distinguitur, qua res non in se ipsa, sed *in suo simili*, sive *in sua imagine* cognoscitur<sup>7</sup>, ita ut a similitudo rei cognitae non accipiatur immediate ab ipsa re cognita, sed a re aliqua, in qua resultat<sup>8</sup>. E. g., huiusmodi est cognitio alicuius hominis, qui in aliquo speculo videtur,

<sup>1</sup> In *Dynam.*, c. IV, art. 5, p. 137-138 et art. 10, p. 154.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. XII, a. 9 c. — <sup>3</sup> *Ibid.*, q. LVI, a. 3 c.

<sup>4</sup> In *Epist. I ad Cor.* c. XIII, lect. IV.

<sup>5</sup> *Ibid.* — <sup>6</sup> I, q. LIV, loc. cit.

<sup>7</sup> *Ibid.*, q. XII, a. 9 c. Cf etiam *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 3 ad 17, et in *lib. II Sent.*, Dist. XXIII, q. II, a. 1 sol.

<sup>8</sup> I, q. XVI, loc. cit.